Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26077
Copyright: Admont, Benediktinerstift

et effundentibus sanguinem christianum apostoli et apostolici
uiri nihilominus salutis eorum curam habuerunt. et recon
ciliauerint eos deo. In mensuram contra mensuram. cum abiec
ta fuerit iudicabis eam. LXX. Rixans et exprobrans emittit
eos. Iuxta hebraicum hic sensus est. Sicut fecit ierusalem.
sic recipiet. iuxta mensuram qua mensa est remetietur ei.
tunc cumulatam mensuram recipiet. quando iudicii tem
pus aduenerit et abiecerit eam deus. Iuxta LXX. pendet
ex superioribus quod dicitur. non enim israel sic percussit percutietur.
nec sic interfecit interficietur. qui iurgabat contra apostolos et
exprobrabat doctoribus suis et precipiebat ne in nomine
christi loquerentur. propterea dominus abiciet eos et de suo expel
let grege. Meditatus est in spiritu suo duro per diem estus. LXX.
Nonne tu eras qui meditabaris spiritu duro interficere eos
spiritu furoris. Iuxta hebraicum hoc dicitur in mensura qua
mensa est ierusalem recipiet. propterea deus in spiritu suo du
ro atque uehementi meditatus est siue locutus contra eam in die
estus hoc est persecutionis tempore. quando ardentior in
dignationis dies est atque penarum. iuxta LXX ad ipsam dicitur
ierusalem siue ad israel. Nonne tu eras qui in spiritu tuo du
rissimo atque crudeli et in furore blasphemiarum tua
rum apostolos domini atque doctores interficere cupiebas. Idcir
co super hoc his dimittitur iniquitas domui iacob. et iste
omnis fructus ut auferatur peccatum eius. quia posuit cum posuerit
omnes lapides altaris. sicut lapides cineris allisos. non stabunt luci
et delubra. LXX. Propterea auferetur iniquitas iacob
et hec erit benedictio eius cum abstulero peccatum eius.
quando posuerint omnes lapides ararum contritos
quasi cinerem comminutum et non perseuerauerint arbores